



## **Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,  
Librosque undecim complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput XV. Divini amoris ignem in altari cordis nostris jugiter (actu vel  
virtute) ardere debere, Augustinus & Aquinas tradunt, ipsisque reliquorum  
Sanctorum communis traditio concinit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)



servationi, incremento & perfectioni vel necessaria, vel utilis sunt. Si advertat usum & possessionem aliarum rerum se tepescere, & implicari, ab illis protinus resistit, atque ab illis se continet, ut seipsum Deo acquirendo ac promovendo integrum castumque servet. Et hoc est quod S. Ignatius, Societatis Jesu Fundator, praeclare docet in aureo Exercitiorum libro, ut vidimus lib. 5. citato n. 67.

## CAPUT XIV.

Alii sacri textus eundem in sensum proferruntur.

109 **P**rofertur imprimis oraculum Salvatoris Luc.

18. *Quid me dicitis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* Laudari non voluit Salvator de bonitate, ab eo qui ipsum existimabat hominem purum, ideoque laudem istam ad Deum non referebat. Propterea dixit: *nemo propter se bonus, nemo proinde propter se laudandus, nisi solus Deus.* Quod utique dixit: quia caetera bona, vel non sunt nisi apparentia; vel non sunt bona propter se, sed propter Deum, a quo & propter quem aliquid participant de bonitate ipsius. Proinde non sunt nisi media, quibus deducimur ad Deum verum bonum. Quam ob causam nec propter se amabilia sunt, nec laudabilia, sed propter Deum, qui solus est per se & propter se bonus, solus proinde per se & propter se amabilis.

110 Cui sacro textui, si jungas complura alia Eloquia sacra, libro sequenti proferenda, quibus creaturarum propter se amor inhibetur, ex iis omnibus simul sumptis, manifeste conficitur, solum Deum esse posse finem omnis deliberati amoris, & actus nostri; Deumque proinde omni tempore, & opere deliberato, a nobis diligendum esse. Quandocumque enim deliberate agimus, ex amore aliquo agimus, ut constat ex dictis lib. 5. ante caput 1. ergo finaliter vel ex amore Dei, vel creaturae. Non enim datur medium, ut constat ex dictis lib. 4. cap. ... Cum igitur secundum Eloquia sacra numquam licitum sit amare creaturam finaliter propter se, quandocumque deliberate agimus, agere nos oportet finaliter propter Deum, sive ex amore Dei propter se. Igitur a primo ad ultimum, omni tempore quo deliberate agimus, oportet nos amare Deum finaliter propter se. Qui proinde amor in nobis esse debet continuus actu vel virtute.

111 Actu, inquam, vel virtute. Neque enim volumus, hominem teneri ad perpetuum eliciendos e sinu cordis istos vel similes actus, *Amo te Deus, ad gloriam tuam refero actiones meas, &c.* vel ad perpetuum cogitandum actu de Deo: hoc enim (attentis tam multis vitae nostrae distractionibus) impossibile est, nec certe necesse est ad verificandum Eloquia sacra, divini amoris perpetuitatem exigentia: cum affectiones divini amoris instar fulguris

non transeant & evanescant jugiter renovanda; sed in anima radicatae & impressae, eam reddant amore ferventem, etiam dum de amore non cogitat. Patet in affectione fidei, de qua Apostolus: *Iustus ex fide vivit*, licet iustus de fide non semper cogitet; illa verò fides, ex qua iustus vivit, haud dubie est *fides qua per dilectionem operatur*, ut alibi dicit, *Ista proinde fides, per dilectionem operans, iusti vitam dirigit, etiam dum de illa non cogitat.* Imò, si Augustino credimus serm. 7. de calend. Jan. *Nemo vivit in quacumque vita, sine tribus istis anima affectionibus, credendi, sperandi, amandi, etiam si de credendo, sperando, amando non semper cogitet.* De fide etiam christiana & catholica idem Augustinus 7. confess. 5. dicit: *Stabiliter haebeat in corde meo... non eam relinquebat animus; imò in dies magis magisque imbibebatur.* Certum tamen est, quòd de ea jugiter non cogitabat. Sic etiam avarus haud dubie pecunias amat, ambitiosus honores, voluptuosus voluptates, quando de iis non cogitat.

## CAPUT XV.

Divini amoris ignem in altari cordis nostri jugiter (actu vel virtute) ardere debere, Augustinus & Aquinas tradunt, ipsique reliquorum Sanctorum communis traditio concinit.

**D**ivum Augustinum hac de re audivimus n. 112 § 6. dicentem, quòd cum Deus praecepit, dicens: *“Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitam nostram partem relinquit, quae vacare debeat.”* Qui etiam tr. 8. in epist. Joan. n. 3. sic ait: *Opera modo illa sunt in vobis, modo illa, pro tempore, pro horis, pro diebus. Numquid semper loqui? numquid semper tacere? numquid semper corpus reficere? numquid semper jejnare? ... modo illud, modo illud. Inchoantur illa, & cessant: ille autem imperatur, nec inchoatur, nec cessare debet. Caritas intus non intermitatur, officia caritatis pro tempore exhibeantur. Numero verò 1. dixerat: *Affectus caritatis, sanctitatis pietatis... semper hac tenenda sunt: sive cum in publico sumus, sive cum in domo, sive cum inter homines, sive cum in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquis agentes, sive vacantes, semper hac tenenda sunt.**

Aquinas 2. 2. q. 83. a. 14. expressissimè apertissimèque dicit: *Desiderium caritatis in nobis debet esse continuum, vel actu vel virtute.*

Non minus expressa sunt verba Gregorii 114 Magni supra n. 99. dicentis: *Altare Dei est nostrum, in quo jubetur ignis semper ardere: quia necesse est ex illo caritatis flammam ad Deum indefinenter ascendere.*

Author etiam Soliloquiorum (inter opera 115 Augustini) expressissimè Deo dicit: *Sicut nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te... non diligam ex omni fortitudine mea.*



116 Cùmque Origenes, Basilus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Caelestinus Papa, Theodoretus, Leo Magnus, Prosper, Fulgentius, Victor Antiochenus, Maximus, Beda, Rabanus, Eucherius, Aponius, Anselmus, Bernardus, Franciscus Assisius, Laurentius Justinianus, Thomas Aquinas, Thomas Villanovanus, S. Ignatius de Loyola, S. Teresa, S. Maria Magdalena de Pazzis, & alii Sancti passim doceant, omnes actus nostros deliberatos ex Dei dilectione faciendos esse (uti demonstrabitur lib. seq.) ex communi Sanctorum traditione constat veritas assertionis nostrae.

## CAPUT XVI.

*Primo maximoque mandato duplex involvitur praeceptum, affirmativum unum, negativum alterum; illud expresse, istud implicite.*

117 **E**O namque Dei dilectio expresse praecipitur, cùm dicitur: *Diligis Dominum Deum tuum.* Eodem quoque cordis divisio implicite prohibetur, cùm additur, *ex toto corde tuo, &c.* Dum enim totum cor Deus expresse vult sibi, prohibet illud alteri dari, etiam ex parte, sive per mansorios creaturarum amorculos, aliquid extra Deum non propter Deum diligendo, v. g. divitias, honores, sensuum voluptates, &c.; sive per amorem habentem alium finem ultimum agentis, quam Deum.

## CAPUT XVII.

*Eodem consequenter mandato duplex involvitur praeceptum, unum sub mortali, alterum sub veniali.*

118 **S**ub veniali quippe eo mandato praecipitur, Somnes deliberatos actus saltem virtualiter referre in Deum, hoc ipso quo per mansorios creaturarum amorculos prohibetur dividere cor nostrum, & aliquid extra Deum amare, non propter Deum, ut constat ex hactenus dictis, atque ex professo probabitur l. 8.

119 Sub mortali verò & aliquid praecipitur, & aliquid prohibetur. Praecipitur amare Deum tamquam finem ultimum hominis; prohibetur aliquid extra Deum amare tamquam finem ultimum hominis.

120 Porro illud proprie amatur tamquam finis ultimus hominis, quod principaliter possidet cor hominis, & in cujus amore homo praecipuum studium suum & cogitationem ponit. Per consequens proprie amatur tamquam finis ultimus hominis, quod amatur amore praedominante, seu praecipuum in corde locum obtinente (ut loquitur S. Franciscus Salesius) ita ut amor ipsius praere reliquis nostris amoribus altius cordi impressus, iis regnantibus in morem dominetur, eosque fortitudine & fervore vincat.

121 Ex quo patet, impropiam esse locutionem, Tom. I.

cùm dicitur, per quodcumque mortale constitui finem ultimum hominis in creatura. Neque enim proprie finem ultimum hominis constituit in divitiis v. g. quisquis eas amat amore mortaliter malo: quia eo ipso divitias non amat amore praedominante, & super omnia, modo dicto: cùm amore mortaliter malo possit & amare divitias, & simul honores, & sensuum voluptates, &c. Quisquis verò sic divitias amat, eas super omnia non amat, v. g. super voluptates, vel honores. Eas proinde non amat amore praedominante. In iis ergo finem suum ultimum proprie non constituit.

Unde D. Thomas 1. 2. q. 88. a. 2. & 4. 122 dum distinguit modos, quibus veniale ex genere suo fieri potest mortale, dicitque veniale fieri mortale, vel quia in eo constituitur finis ultimus, vel quia ordinatur ad mortale, sive ad finem mortaliter malum, adeoque mortaliter amatum: duo ista aperte distinguit, finem aliquem mortaliter amare, & in eo finem ultimum hominis constituere, prout & Theologi communiter cum ipso distinguunt.

Et si idem foret finem aliquem mortaliter amare, & in eo finem ultimum hominis constituere, in Deo finis ultimus constitui non posset absque mortali peccato. Quod absit. 123

Finem itaque ultimum hominis in aliquo constituere, proprie est ipsum amare ex toto corde; est ipsum amare super omnia; est ipsum amare fortiori quam caetera amore; sive amore supra alios amores omnes praedominante: atque hoc modo, ex vi primi maximeque mandati, sub mortali Deum amare tenemur; sub mortali etiam prohibemur finem ultimum hominis in ulla re extra Deum vel momento constituere, sive aliquid extra Deum amare plusquam Deum, vel aliquid extra Deum amare amore supra Dei amorem praedominante, etiam momentaneo, & citò transeunte. Siquidem 1. Joan. 2. scriptum est: *Si quis taliter diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Matthaei quoque 10. Veritas dicit: *Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus.* Et Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Si quis proinde animam, seu vitam suam vel momento plus amaret quam Christum, timoreque mortis ipsum vel momento negaret, ut Petrus, tamen, cessante timore, ad se reversus, statim id fleret amare, momento illo haud dubie mortaliter peccaret; uti haud dubie mortaliter peccavit Petrus. Verum hac de re plura ubi de peccatis.

Accipe tamen hic brevem hujus rationem: 125 quia nempe quisquis finem ultimum hominis vel momento, in aliqua constituit creatura, ipsam plusquam Deum amando, eo momento summum bonum suum, bonum infinitum, bonum infinite amabile, bono postponit vilissimo, principemque in amore locum, Deo